HUGO DE SANCTO VICTORE
Admont, 2. Hälfte 12. Jh. Seite 33r
Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26898
Copyright: Admont, Benediktinerstift



deras. ut cogites & intelligas. quod est deus. Minus est hoc totum quod dicis.
& non est hoc totum ipse de quo dicis. et tamen de ipso hoc dicis. non ut ac
cedas ad ipsum sed ut ipsi appropinques. Magnum enim est nunc homini
ad ipsum ire. & si non detur pervenire. Dabitur autem postea cum venerit
quod perfectum est. et ceperit videre homo sicut videtur. non per speculum et ima
ginem. sed facie ad faciem veritatem. Nunc autem interim totum imago
est. & ipsa imago longe a veritate est. et tamen facit quod potest. quasi
imago. et convertit animum. sed non perducit. Hoc enim solum potest in
nobis. & nobis in illa hoc solum. quia nec ipsa amplius ostendere potest.
nec nos aliud comprehendere. Et est tamen imago quedam sublimior.
et magis appropinquans veritati. ita ut nobis appellari veritas
possit. quia aliud nichil est supra illam quod expressius veritas demon
strari possit. Dicitur namque quia ignis deus est. & manifesta est
figura. quomodo deus ad proprietatem ignis non est. quomodo ignis corpus
est. hoc deus non est. Dicitur etiam quia deus lumen est. et apparet hic si
militer imago veritatis. aliud a veritate. quomodo deus lumen non est
secundum proprietatem. quod secundum figuram nominatur. Omnia enim hec sunt
visibilia. et longe adeo sunt per proprietatem naturae. etiam si secundum
similitudinem sola. quae ipsa ad excellentiam maiestatis exigua est
coaptantur. Est autem alia natura incorporea magis vicina deo. inter
quam et deum. nulla alia media est natura. et hec ad similitudinem ma
gis accedit. quamvis et ipsa a veritate longe sit. Secundum hanc itaque a
nobis altissimam naturam ad deum. nobis sublimis similitudo formatur.
cum dicitur deus spiritus. et sapientia. et racio. et amor. quia anima spiritus est. & angelus
spiritus est. et in ipso spiritu racio. & sapientia et amor est. Et novimus quid
sit spiritus. quantum animam novimus. et angelum novimus. et per animam angelum
novimus. quantum nos ipsos novimus. quamvis & hoc modicum sit. & vix
dici possit cognitio. Cum ergo audimus quia deus spiritus est. cogitamus